SECTIO I.

HISTORIA MISSAE PRIVATAE.

CAPUT I.

Praxis primorum ſaeculorum.

§. 1.

Qualem Chriſtus in eucharistiae celebratione ritum obſervarit, evangelium ſatis eloquitur. Chriſtus diſcipulis ſuis, a) in unum locum congregatis, *omnibus* corpus ſuum in cibum, et ſanguinem in potum dedit; idemque in ſui commemorationem fieri juſſit.

a) Luc. XXII. 19. Matth. XXVI. 26. Marc. XIV. 22. I. Cor. XI. 24.

§. 2.

Apoſtoli pariter in conventibus coenam adminiſtrabant. Nam Lucas act. II. ſcribit „erant „ perſeverantes in doctrina apoſtolorum, et in „ communicatione fractionis panis" et cap. XX.

„ una ſabbatorum cum conveniſſent ad frangen-
„ dum panem " --- ad ſacramenta ſcilicet et myſteria celebranda, ſicut exponit Auguſtinus epiſt. 36. ad Caſulanum.

§. 3.

Primis eccleſiae temporibus epiſcopo ſacra facienti aderant cum laicis presbyteri, ut, oblationis participes, eucharistiam acciperent; et abſente vel jubente epiſcopo presbyteris tantum offerre conveniebat. Conſtitutiones apoſtolicae lib. 8. cap. 13. epiſcopum cum presbyteris circumſtantibus et communicantibus ſacra operantem deſcribunt --- eandem diſciplinam ſupponit canon V. a) Toletani I. Veſtigia hujus praxeos relicta eſſe videntur in canone, quem hodie in miſſa recitat ſacerdos, ubi plurium nomine preces funduntur; non tantum nomine plebis, ſed et aliorum a plebe diſtinctorum, nempe ſacerdotum. Sic dicitur ante conſecrationem: „ Memento famulorum, famularumque tuarum, „ pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offe- „ runt hoc ſacrificium " et poſt conſecrationem „ unde et memores domine *nos ſervi tui*, ſed „ et plebs tua ſancta " etc.

a) „ Presbyter, vel diaconus, vel ſubdiaconus, vel quili- „ bet eccleſiae deputatus clericus, ſi intra civitatem „ fuerit, vel in loco, in quo eſt eccleſia, aut ca- „ ſtello, aut vico, aut villa, et ad eccleſiam ad ſacri- „ ficium

„ ficium quotidianum non accesserit, clericus non ha-
„ beatur, si castigatus per satisfactionem veniam ab
„ episcopo noluerit promereri conf. *Morinus* comment.
de sacris ordin. part. 3. exercit. 8. cap. 1. Thomassi-
nus in vet. et. nov. eccl. discip. p. I. lib. II. cap. 21.
Krazer de antiquis ecclesiae occidentalis liturgiis liber
singularis (1786.) pag. 186. idem mos retinetur in
missa, in qua neopresbyteri episcopo adsistunt ad
aram, et cum eo missam conficiunt.

§. 4.

Praeterea, quotquot aderant ferme fideles, de corpore et sanguine dominico participare tenebantur. Clemens alex. Strom. 1. scribit. „ Eucharistiam, cum quidam, ut mos est, divise-
„ rint, permittunt unicuique ex populo ejus
„ partem sumere. " Justinus apolog. 2. „ solis
„ die omnium, qui in urbibus, vel in agris
„ degunt, in eundem locum conventus fit...
„ praepositus preces et eucharistias facit... di-
„ stributio fit cuique praesenti, absentibus vero
„ per diaconos mittitur. " Imo, cum circa finem sacculi tertii fervor ille languescere et numerus communicantium imminui coepisset, patres illiberitani cap. 28. statuerunt, episcopum non debere munera ab eo accipere, qui non communicat. Huc spectat quoque can. II. antiocheni II, canon 13 Toletani I, canon X. a) Apost. et decretum Anacleti; b) quod, licet

 sup-

suppositititium, venerandum est antiquitatis monumentum.

a) Canon X. „ Cunctos fideles, qui in sanctam Dei ecclesiam ingrediuntur et sacras scripturas audiunt, non autem perseverant in oratione, et sancta communione, velut in ecclesiam inducentes confusionem segregari oportet. " b) „ Peracta consecratione omnes communicent, qui noluerint ecclesiasticis carere liminibus. Sic enim et apostoli statuerunt et sancta Romana tenet ecclesia. " de consecrat. dist, 2. c. 10.

*) Hanc ecclesiae praxin et ipsi scriptores ecclesiastici agnoscunt. *Amalarius* de officiis eccl. lib. 3. in praef. Hic liber praeclarus, cujus MS. etiam in bibliotheca ecclesiae Metropolitanae Mog. reperitur, extat in collectione Patrum Variorum de ecclesiae catholicae officiis Divinis. Romae 1591. *Wallafridus Strabo* de reb. eccl. cap. 22. *Micrologus* de obs. eccl. cap. 51. *Durandus* in rational. div. off. cap. 53. n. 2. *Selvagius* antiq. christ. inst. lib. 2. part II. cap. 3. § 4. Herrliche Züge der uralten Kirche (ait Anonymus über den Verfall des Pfarr Gottesdienstes in der Katholischen Kirche S. 7.) schönes Sinnbild des mit ihr vereinigten Heilands! Hierinn lag Seelenwonne für den Christen, Nahrung für seinen Geist; hier war ächte apostolische Andacht, Uibereinstimmung der Gemüther, brüderliche Friedensküsse, trefliche Erbauungsreden, die nicht nach dem Kunstgewebe der Eloquenz, sondern nach dem einfachen belehrenden Geiste des Evangeliums eingerichtet waren.

§. 5.

Hisce ecclesiae sanctionibus ipsi monachi non erant exemti, qui cum reliquo populo, ut sacris mysteriis participarent, ad ecclesias con-

conveniebant: Patet id ex *Athanasio* in apolog. pro fuga, *Palladio* in hist. laus. cap. 17. *Cassianus* inst. monest. lib. 3. cap. 2. ait. „ veteres mona-„ chos sabbatis, dominicisque sacrae commu-„ nionis obtentu hora tertia in ecclesiam con-„ venisse. " Quae dixi, tam clara sunt, ut sine ulla haesitatione scribat Morinus in tract de poenit. lib. 2. c. 17. „ Monachi omnes, si in „ urbibus aut longe ab his ipsos versari oporte-„ bat, ad ecclesiam cum caetera plebe loco „ tamen primo, ut nobilior dominici gregis „ portio sessuri conveniebant. "

CAPUT II.

Disciplina relaxata.

§. 1.

Si quaestio instituatur, quandonam populus cum sacerdote communicare desierit, magna apud theologos discrepantia invenitur. *Gervasio* de sacramentis. lib. 1. pag. 326. jam adducit canonem IX. apostolorum, quo sancitur, quod ex legitima causa indigni a sacra mensa arceri possint. --- Poterat ergo, inquit, contingere, ut solus sacerdos aliquando communicaret. *Morinus* in comment. de sacris ordin. part. 3.